

50. Infamia facti tollitur per justam penitentiam, ac rectam emendationem vitæ, cum res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvatur, ita communiter omnes cum Navarro *cap. 25. num. 75. 76.* Infamia autem facti, vel juris potest tolli Summo Pontifice, an etiam ab Episcopis, negat Castro Palaus *citatus, num. 13.* dicens quod Episcopus non potest dispensare cum infami, ut ad ordines ascendat, sed ut in susceptione ministret. Tamen, quod in utroque possit Episcopus dispensare communis est sententia ex *cap. At si clerici, §. de adulterio, de judicio. Navarr. in manuali, cap. 27. num. 204.* Tolerus in *summa, lib. 1. cap. 62. n. 5.* Lezana *verb. Infamia, num. 16.* Infamia autem orta ex jure civili tollitur à Rege, Principe, ac Imperatore.

52. Prælatus Regularis possunt dispensare cum suis subditis ratione suorum privilegiorum in omni irregularitate infamiae sive juris, sive facti qualitercumque contracta sit sive occulta, sive publica sit, post & ante ingressum Religionis. Ita Peregrin. in *suo Compendio, verb. Dispensat.* Naldus, *verb. Infamia, num. 1. §. Hic autem.* Bordon, *Resol. 1. n. 50.* M. Lezana, *verb. Infamia, n. 17. 18.* Thefant, *p. 1. cap. 34. Diana part. 5. tract. 14. Resol. 91.* Et probabilem videtur sentire Pellizar, *tract. 9. c. 3. sect. 4. n. 134.* Et probatur ex multis privilegiis, quæ concessa sunt Prælati Regularium; quæ refert Lezana *tom. 1. cap. 18. num. 4.* ad dispensandum cum suis subditis in omni irregularitate, exceptis tribus homicidio voluntario, mutilatione, bigamia; ergo manet integra facultas ad dispensandum in omni alia irregularitate, & inde etiam infamia.

Probatur etiam secundò, ex privilegio Gregorii XIV. Bolla 17. pro Clericis ministrantibus infirmis, ut eorum Generalis, & idem est per consequens aliorum Ordinum, qui cum ipsis communicant in privilegiis, possit dispensare cum suis subditis infamiae macula; & idem concessit Pius V. in *Bulla 129.* in novo Bullario, Abbatibus, & Prælati Congregationis Cassinensis dispensandi in quavis macula infamiae, qualiter cumque contractæ, sive ante, sive post ingressum Religionis.

Nec contra hoc faciunt Rodriguez *tom. 1. quest. 24. art. 6.* Portel. in *dubio Regular. v. Dispensat. num. 6.* Lavor, *tit. 14. cap. 16. num. 7.* afferentes Prælatos Regulares non posse dispensare in infamia juris; maxime in crimine Sodomiae, quia talis dispensatio generat scandalum. Respondemus quod dispensatio datur supposita penitentia, ac emendatione criminis, & per penitentiam, ac emendationem deletur omne quodcumque crimen.

QUESTIO XV.

*Prælatus in quocumque loco sit, potest dispensare cum suo subdito etiam à se absentem.*

SUMMARIUM.

55 Prælatus extra Conventum in quocumque loco sit, potest dispensare cum suo subdito.

56 Prælatus potest dispensare cum suo subdito etiam absentem à se.

Primo Prælatus Regularis possunt dispensare cum suo subdito, sive sit in Conventu sive extra illum, quia potestas dispensandi non alligatur loco, & privilegia Pontificum indistincte iocuantur sine determinatione loci. Ita Portel. *verb. Dispensare, in Addition. 10. ex doct. Suar. & Ripa Sanchez lib. 1. disp. 9. num. 7. Suar. de censur. disp. 4. sect. 2. num. 10.*

Secundò, tenendum est, quod Prælatus potest dispensare subdito absentem à se ipso. Primo, quia in hoc nulla assignabitur repugnantia, nec difficultas, quia non est absolutio sacramentalis, quæ requirit subditum presentem; deinde quia major difficultas potest considerari in absoluteione censurarum, quæ tamen confertur subdito absentem. Bonac. *disp. 1. de censur. quest. 3. punct. 4. n. 4.* cum communi sententia; ergo multo magis dispensatio; cum nullum contineat vestigium absoluteionis. Ita multi Auctores cum Boffio *de Jubileo casu 10. num. 166.* Portel. *verb. Dispensatio n. 10.*

QUESTIO XVI.

*An valeat dispensatio à superiore data subdito ignorantem, non petenti, & etiam nolenti?*

SUMMARIUM.

57 Valeat dispensatio realiter data. Dispensatio data subdito ignorantem valet ibidem.

58 Prodest dispensatio subdito non petenti. Prodest dispensatio facta nolenti. Ibidem.

Respondetur, quod maxime valet, ac tenet dispensatio data à superiore subdito ignorantem, vel non petenti, vel nolenti dispensari. Probatur universaliter, quia ex parte dispensantis dantur omnia requisita ad valorem dispensationis potestas, & voluntas; ergo bona est dispensatio: ex parte etiam dispensati adfunt omnia requisita, subjectio nempe, & justa causa, ut suppono, ratione cuius superior dispensat. Et probatur per singulas partes. Prodest ignorantem, si eam per tertium procuravit, aliter verò à die scientiæ acceptæ, ut volunt Suar. *lib. 8. de legib. cap. 25. n. 15.* Menoch. *lib. 2. de arbitrar. censur. 2. casu 185. n. 31.* cum ipsis, ac aliis Bonac. *disp. 3. n. 5. de privil.* Aliter tamen Sanchez. *lib. 8. de matrim. disp. 26. num. 5.* Bordon. *resol. 10.* quod mihi est verius; prodest enim dispensatio facta ignorantem à die dispensationis ad collationem beneficii, quia stante dispensatione jam ipse revera est habilis ad beneficium, & ipsa scientia est per accidens.

Prodest etiam dispensatio non petenti data à superiore, quia valor illius pendet à voluntate concedentis, & non à supplicatione petentis tum quia beneficium datum à superiore sine petitione alienius valet, & foritur effectum, *cap. Si motu proprio de prebendis, in 6.* ergo Navar. & dispensatio militat eadem ratio Navar. Sa. conf. 2. & 3. de rescriptis. Sa. *verb. Gratia.* Portel. n. 23. Portel. *verb. Dispensatio, num. 11.* Suar. lib. 6.

*lib. 6. de legibus, cap. 13. n. 8.* Dispensatio facta in volentem, habet suum effectum; nam dispensatio est beneficium superioris, ac proinde iusta interveniente causa potest dispensare, maxime quando hoc confert ad bonum commune, vel commendationem virtutis, in ordine ad officia, tunc enim beneficium, & gratia confertur invito Thomazer, *regula 151.*

Thomazer.

QUESTIO VII.

*An Prælatus non solum per tertium, sed etiam immediate per semetipsum possit secum dispensare?*

SUMMARIUM.

59 Potest per tertium à se electum secum dispensare.

60 Potest etiam secum immediate dispensare.

Respondetur Prælatus Regularis utpote Generalis, Provincialis, Prior, localis non solum per alium à se electum, sed etiam immediate per semetipsum secum dispensare potest in omni irregularitate, in qua potest cum suis subditis dispensare. Prima pars probatur ex privilegio Sixti IV. Gregorii XI. quæ refert Bordon *Resol. 10. quest. 1. §. Secundum sit.* Deinde Prælatus & Episcopi possunt eligere confessores, ad eos absolvendes, ergo etiam ad dispensandum cum eis. Henriquez *lib. 6. de Penitentia cap. 2. num. 3. & lib. 7. de indulg. cap. 2. §. 8.* Emmanuel Sa. *erb. Religio. n. 47.*

Bordon.

Hentiq.

Emman. Sa.

60.

Emman.

Bordon.

Abbas.

Sanchez.

Glossa.

Thomazer.

Armillia.

Mollua.

Azor.

Secunda pars de dispensatione immediata in se ipsam, probatur, quia hoc nulli iuri, tam divino, quam humano repugnat, ut probat Bordinus *Resol. 10. num. 13. §. Secundum.* Quia idem respectu diversarum actionum, potest exercere vicem doctorum, Abbas. *in cap. ex literis de probationibus, num. 12.* Deinde non est universaliter verum illud axioma, quod intercedant, & accipientem debet dari distinctio, ut ex multis ostendit Sanchez. *lib. 8. de Matrim. disp. 3. num. 6.* Deinde illud axioma nemo sui ipsius est iudex, non habet locum in dispensationibus, nam dispensatio exercetur jurisdictione voluntaria, & gratuita, valde diversa ab absoluteione sacramentali, quæ fit per modum iudicii, Glossa *fin l. cap. Nunc autem 7. dist. 21.* Thomazer. *Reg. 25.* Armilla, *vers. Molinachus, n. 9.* Molin. *tom. 1. de iustitia tract. 2. disp. 247. §. Religiosus tamen.* Azor. *lib. 7. c. 29.* & sicut Prælatus potest sibi ipse concedere indulgentiam, sicut aliis per suam jurisdictionem voluntariam, & gratuitam, ita & sibi ipse ipsam dispensationem.

QUESTIO XVIII.

*An dispensatio negata à majori, possit concedi à minori, & an dispensatus ad majus sit dispensatus ad minus?*

SUMMARIUM.

61 Negata dispensatione à superiori potest inferior dispensare, dummodo non sit

*denegata dispensatio ob causam injustam, & n. 62. & 63.*

64 Dispensatus ad majus non est dispensatus ad minus, & n. 65.

Prima questio est. Negat superior, verbi gratia, Papa dispensationem alicui, an talem dispensationem possit concedere inferior, supposito quod alias habeat potestatem, cognita negativa superioris. Respondeo quod inferior potest dare talem dispensationem, dummodo dispensatio non sit denegata à superiori, eo quod iudicaverit non adesse causam justam, & sufficientem. Ita Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 14. num. 5. 6. & 7.* Portel. *in additionibus ad dubia, verb. dispensare, n. 18.*

Probatur prima pars; quia denegatio superioris, verbi gratia, Papæ, non abstulit potestatem, quam habet inferior ex vi sui officii. Deinde illa denegatio non facit casum indispensabilem, sed denotat arbitrium superioris, qui non tenebatur dispensare. Tandem subditus relicto inferiori, accedendo ad superiorem, non cessit iuri suo, cum in eius optione sit accedere ad hunc, vel illum.

Altera pars conclusionis probatur, quia si superior, verbi gratia, Papa, negat dispensationem, quia iudicat causam injustam, & insufficientem tunc inferior non potest dispensare; nam in re, tam gravi tenetur se conformare cum iudicio superioris, & ideo respectu illius causæ indispensabilis est casus. At verò si alia causa proponatur, quas inferior iudicet sufficientes, vel alia circumstantia ad eundem casum, tunc inferior poterit dispensare, non enim ipse constringitur ad unam causam, cum alia intervenire possint.

Secundò petit questio, an dispensatus ad majus officium, verbi gratia ad generalatum censeatur dispensatus ad minus, verbi gratia, ad Provincialatum, ad Prioratum, seu diffinitoratum. Respondeo, quod non censeatur dispensatus; ita Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 1. n. 2.* Sigismund. *dubi. 0. n. 3. §. Manet ergo.* Ubi *num. 5.* expressis verbis hunc nostrum casum tractat Bordinus *Resol. 10. n. 19.*

Ratio est, quia dispensatio strictè est interpretanda, & maxime restringenda, cum sit juris communis vulneratio, quod est maxime odiosum, *cap. 1. de filiis Presbyterorum in 6. & facit Regula, quæ à jure exorbitant non sunt habenda in consequentiam in 6.* Confirmatur ex paritate rationis, Quia dispensatus ad Archiepiscopatum, non potest eligi in Episcopum *cap. finalis de translatione Episcoporum.* Neque enim in his valet argumentum à minori ad majus, ut aliis citatis probat Sanchez.

QUESTIO XIX.

*Verum dispensatio facta in solemnibus visitatione non solum comprehendat professos, sed etiam novitios.*

SUMMARIUM.

66 Dispensatio facta in visitatione, prodest etiam de irregularitate non recordatur, sed postea.



67 Prima sententia negat, quod Prælatus non potest dispensare in irregularitate novitiorum. 68 Secunda affirmat, & fundatur. n. 69. 70 Solvitur fundamentum adversariorum, & quod novitius potest adire Episcopum.

66. Conveniunt, quod dispensatio facta à Prælato, seu visitatore in solemnibus visitatione, seu reconciliatione comprehendat ipsos Religiosos professos, ut absoluti, & dispensati maneat à quacunque irregularitate, si illi erant innodati, ad quam se extendat potestas ipsius visitatoris, ita ut hæc dispensatio in tantum eis prosit, quod si postea subditus meminerit se esse aliqua irregularitate affectum verbi gratià, non egeat nova dispensatione, cum jam per illam generalem dispensationem, fuerit irregularitas ablata, Ita Peyrinus tom. 1. Privilegiorum consuet. 1. Julii II. adducens Navarum in summa cap. 26. num. 13. Sylvest. verb. confessio. 1. quæst. 4.

67. Major difficultas est, an Prælatus Regularis possit dispensare cum novitiis super omni irregularitate ex delicto occulto provenienti, juxta concessionem Apostolicam. Negant Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 11. Azor. part. 1. dub. 11. cap. 19. Sayrus Clavi Reg. lib. 6. cap. 11. num. 92. Quia licet Regularis habeat jurisdictionem quasi Episcopalem, non tamen in novitium, cum non sit simpliciter, & absolute vetus Religiosus.

68. Tamen simpliciter opposita sententia tenenda est, quam tenent Sanchez in Decalog. tom. 1. lib. 4. cap. 39. num. 17. Tamburin. de jure Abbat. tom. 2. disp. 18. quæst. 3. num. 2. Henriquez, Lessius, Faustus, Miranda, Bartholomæus de Vecchis, Portel, quos citat, ac sequitur Diana 3. part. tract. 2. Resol. 71. quibus adhaeret Pellizari, tom. 2. tract. 9. cap. 3. sect. 4. num. 19. & in hac sententia sunt Auctores, quos supra citavi, quæst. 2. n. 7.

69. Probatur primò, quia novitii gaudent privilegiis sui ordinis, ut est commune, & concessit Gregorius XIII. Novitiis Societatis, ut ipsius Societatis gaudeant privilegiis. De quo communicant alie Religiones. Secundò, Quia etiam Prælatus Regularis non habet potestatem dominativam in novitios, habet tamen potestatem spiritualem Ecclesiasticam in eos, ut ex Navarrio cum communi sententia tenet Sanchez lib. 4. in Decalog. c. 39. num. 17. & inde fit, quod novitius valet confiteri cum confessore approbato à Prælato ordinis, & quod novitius quamdiu perseverat in Religione, exemptus est à jurisdictione Episcopi, qui non potest cognoscere de delicto ejus, ac aliis illius causis, nisi forte novitius se illi subdat, ut late probat Sanchez citatus cum Henriquez, Rodriguez, Lessio, Angelo, Sylvestro, & aliis.

70. Nec obstat fundamentum Suaris, quia Novitius non habet statum perpetuum, sed veluti ita dicam habet statum mutabilem, & annualem, dispensatio autem fit ad rem perpetuam. Quæ ratio non multum urget, quia, v.g. quis virtute Jubilæi, vel sacre penitentiaria potest dispensari, & tamen postea ex negligentia non exequitur opera adjuncta, sic & Novitius accedens ad Religionem, ex ejus privilegiis obtinet aliquod beneficium, & favorem,

Peirra.

Sylvest. Navar.

Suar. Azor.

Sayrus.

Sanchez. Tambur. Henric. Lessius. Faustus. Miranda. Vecchis. Portel. Diana. Pellizari.

Navar. Sanchez.

Sanchez. Henric. Rodrig. Lessius. Angelus. Sylv.

70. Suar.

licet postea in ea non perseveret, & sicut Novitius quamdiu est in Religione, sustinet illius onera sic æquum est, ut favoribus illius gaudeat.

Dixi; quod si Novitius velit, potest adire Episcopum ad obtinendum aliquam dispensationem, potest illum adire, cum nondum plenam exemptionem, ac subjectionem Prælato Regulari adeptus sit, ideoque potest se subire Episcopo, ut probat Sanchez citatus, num. 18. & 20. addens, quod debet adire ad Episcopum sui domicilii Oppositum mihi videtur verius, quia ex eo quod Novitius ingressus est Religionem, jam non habet animum perpetuo habitandi in priori domicilio, sed se transferendi ad hunc, & illum locum, prout obedientia ordinaverit, ac proinde si vult adire ordinarium, debet adire illum, in cujus diocesi se habet in præsentiarum.



RESOLUTIO XXIX.

Explicatur potestas, quam habent Confessores Regulares ad dispensandum cum secularibus.

QUESTIO PRIMA.

De potestate concessa Confessoribus Regularibus ad dispensanda vota, & juramenta.

SUMMARIUM.

- 1 Non agimus de infis confessoribus, quantum ad ipsos Fratres, quia est res volatilis dubia. 2 Confessores Regulares possunt dispensare in votis secularium, quinque exceptis. 3 Privilegia Apostolica. 4 Votum conditionale castitatis, vel alia, que non sunt directe vota castitatis, non sunt reservata. 5 Votum castitatis in conjugatis est dispensabile. 6 Votum peregrinationis ad loca sancta, si non est ex devotione, sed alio fine non est reservatum. 7 Religiosi possunt commutare.

NON agimus in præsentibus de potestate, quam habent Confessores Regulares erga ipsos Fratres, & Religiosos, quia res est dubia, & multas paritur difficultates, quoad dispensanda eorum vota, & juramenta, & ideo pro hac re via certa, & secuta est recurrere ad Religionis Prælatum, ut notat Portel. verb. Confessor. quoad Fratres, num. 21. Sed loquimur tantum de Confessoribus Regularibus quoad vota, & juramenta secularium accedentium ad eos ad confessiones.

Dico Primò, Confessores Regulares possunt dispensare in omnibus votis secularium venien

71.

1.

2.

venientium ad confessiones, exceptis quinque Papa reservatis, scilicet castitatis, Religionis, ac triplicis peregrinationis, de quibus jam egi in præcedentibus, Resolutionibus 28. & 27. Sententia est communis. M. Lezana, tom. 1. cap. 19. num. 23. Lopez, Navar. Valentia, Sayrus, Aragon. Candidus. Vivald. Pellizari. tom. 2. tract. 8. cap. 3. sect. 2. num. 141. Urbanus tract. 2. part. 2. disp. 1. cap. 4. Regul. 1. fol. mibi 249. M. Fr. Anton. ab Spir. Sanct. director. Reg. tom. 1. tractatus 2. disp. 3. sect. 2. num. 80.

Ad fundamentum hujus veritatis stabilendum multa privilegia adducit Bordon, tom. 1. Resol. 15. num. 2. quæ partim sunt viva vocis oracula, vel pro certo, determinato tempore, duo, vel tria bullata, & pro omni tempore. Primum bullatum, Eugenius I V. concessit Monachis S. Justine Ordinis S. Benedicti, confiteri. Et si qualibet apud Confesum pag. 39. & apud Cafarrubium in compendio privilegiorum Mendicant. verb. Absolutio quoad seculares 2. num. 16. Inter cetera ait Pontifex: insuper, & vota omnia permutare, ac in omnibus, & singulis casibus, & cum eis dispensare præsentibus, prius, & vota, & casus, de quibus esset merito sedes Apostolica consulenda. Ubi ut bene advertit Miranda tom. 1. quæst. 48. art. 3. verb. dispensandi, etiam referendum esse ad vota. Aliud privilegium concessit Paulus III. Patribus Societatis Jesu in sua constitut. Cum inter cuncta referunt Confesius, pag. 184. & Cafarrubius, in citato compendio, ubi supra num. 19. ubi ait citatus Paulus III. quod concedit liberam facultatem, vota quacunque per eos pro tempore emissa (ultra marinis, visitationis B. Petri & Pauli Apostol. de urbe, ac Sancti Jacobi in Compostella, nec non Religionis, & castitatis votis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi. Julius. II. concessit Patribus Benedictinis facultatem dispensandi in omnibus votis, in quibus possunt dispensare Episcopi. Refert Sorbo verb. dispensatio. Peregrin. verb. dispensatio. §. 10. licet alia privilegia possint referri, hæc sufficiant.

Ex his colliges, Primò, quod Confessores Regulares possunt dispensare in votis castitatis, ac Religionis, & triplicis peregrinationis, quando hæc vota non sunt absoluta, & ex perfecto amore Dei, sed conditionalia, & penalia, ut supra dixi de Episcopis, Resolut. 27. quæst. 3. n. 12. & 13. Ex his etiam colliges Confessores Regulares posse dispensare in votis, quæ non sunt simpliciter, & absolute castitatis vota; ut si quis faciat votum astumendi ordines sacros, non nubendi, non fornicandi, non polluendi, mulierem non luxuriose tangendi; imò si faciat votum castitatis per quatuor, vel sex annos, hæc vota non sunt simpliciter castitatis vota, & ideo non sunt reservata, Sanchez lib. 8. disp. 9. num. 11. & in Decalog. lib. 4. c. 40. & alii apud ipsum, Diana tom. 1. in Cruciatam, Resol. 56. Portel. verb. Dispensatio de Confessario Regulari, n. 19.

Colliges tertio, quod etiam est dispensabile, & non reservatum, quod matrimonio conjuncti votum inierunt ex communi consensu

Lezana. Lopez. Navar. Valentia. Sayrus. Aragon. Candidus. Vivald. Pellizari. Urban. Fr. Anton.

3. Borden.

Confes. Cafarrub.

Miranda.

Confesius. Cafarrub.

Sorbo. Peregrin.

4. Sanchez. Diana. Portel.

5. Sanchez. Diana. Portel.

servandi castitatem; nam hoc in conjugatis non est perfectum, & absolutum integræ castitatis votum, sed tantum non petendi debitum, & ex una parte potest deficere, & ideo non est votum perpetuum, & absolutum, ac per consequens non est Papa reservatum. Ita Rodrig. tom. 1. quæst. 73. art. 2. Basilius Legionensis lib. 8. de matrim. cap. 10. in fine, Castro Palaus tom. 3. tract. 15. disp. 2. punct. 13. num. 9. Trulench. in Decalog. lib. 2. cap. 2. dub. 44. n. 3.

Colliges quartò, quid dicendum sit de voto triplicis peregrinationis in loca sancta, vel Romam, Compostellam: si tale votum fiat, non ob venerationem, nec devotionem illorum locorum, sed ob curiositatem ad videnda mirabilia Romæ, non est votum reservatum, cum non sit emissum ob cultum Dei, & venerationem illorum locorum, quia hæc de causa vota illa reservantur, Bordonius tom. 1. Resol. 15. num. 20. unde docet Sanchez in Decalog. lib. 4. cap. 40. num. 77. Votum ejus, qui promittit ire Romam ad visitandam imaginem Virginis, aut ad osculandum pedes Sanctissimi Domini Papa, non est reservatum; nam reservatio tunc datur, quando votum fit ad veneranda ea quæ sunt in illa civitate, non verò ad unum, vel alterum determinatè tamen; simpliciter votum ire ad ea loca, tunc est reservatum, quia tunc directè tendit ad venerationem illorum locorum.

Dico Secundò, Religiosi habentes communicationem cum Religiosis D. Benedicti, ac Societatis, Jesu, possunt commutare omnia vota, exceptis illis quinque secularium ad se venientium ita constat ex privilegiis relatis Eugenii IV. pro Benedictinis, & Pauli III. pro Patribus Societatis Jesu, ut refert Lezana tom. 1. cap. 19. num. 23. Et patet ex privilegiis relatis supra in hac questione conclus. 1. Gregor XIII. extendit hoc privilegium, ut notat idem Lezana ad vota etiam jurata. Dummodo talis commutatio in alterius præjudicium non fiat. In commutatione autem horum votorum, idem sentiendum est, ac in eorum dispensatione, ut ex multis observat Bordonius tom. 1. Resol. 5. num. 29.

QUESTIO II.

An Confessarii Regulares possint dispensare in quinque votis Papa reservatis, quando ratione necessitatis Episcopi possunt dispensare?

SUMMARIUM.

- 8 Episcopi in casu necessitatis, quando recursum ad Papam est difficilis, possunt dispensare. 9 Proponitur casus ex Sanchez. 10 Affirmant aliqui. 11 Negat communis sententia. 12 Ejus fundamentalis ratio.

Questio satis curiosæ, & difficilis; communis sententia tenet, quod quando urget necessitas, & non est aditus facilis ad Papam sine mora, quod tunc ex benigna mente Summi

Rodrig. Basilius. Legionen. Palaus. Trullench. 6.

Bordon. Sanchez.

7.

Lezana.

Bordon.

8.